

Letter 96: 29 May 1521, Worms, Capito to Georgius Spalatinus

The manuscript does not appear to be extant. The text was printed by Johann Friedrich Hekelius, *Manipulus Primus* (Groningen, 1695) 59-61.

Integerrimo viro, Dn. Georgio Spalatino, Illustrissimi Principis Elect. Friderici, ducis Saxoniae, etc. a sacris et secretis, domino et amico suo venerando, S.D. in Christo Iesu!

5 Qui has ad te pertulit, Baltasar Hawer, sincerus est, non inelegans, et, quantum sciam, probus. Nam probissimi viri filius, quo cum olim familiariter convixi. Is nunc ambit aulam illustrissimi principis tui, forte pellectus solidissima principis et incorruptissimorum aulicorum fama. Quare si quae conditio isti accommoda fuerit, ad eam illum, quatenus feret optimi principis utilitas, habeas promotum, vel mei causa. Adeoque, quicquid fuerit, oro, ut obiter indices nobiscum intercessisse amicitiam, cuius obtutu cupias illi bene esse.

10 Hodie comburentur libri Lutheri, sicut est clarissima fama, in publico foro. Princeps meus abiit, qui cautus eius tragoediae partes nullas agere vult. Mandata, ut vocant, Caesarea exhibunt, magis animosa quam prudentia. Iccirco elanguescent interiecta mora, nisi quod periculum est, ne utrinque res in nervum exeat, et verbis disceptatum armis et sanguine definiatur, quo malo nihil video calamitosius. Christus noster bene vertat. Equidem fero, quod est voluntas Domini, acerbissima quaeque, opinor exigentibus ita demeritis iniuriosae vitae. Vale. Wormatiae. 29 die
15 Maii An. MD XXI. Wlfg. Capito.

Die XXVII Maii intra decimam et undecimam fato functus est Marchio¹ Gulielmus de Sohviens. Non admodum magno luctu Hispanis et aulicis ea mors esse videtur. Die veneris Caesar hinc solvet. Longissime proxime agam.

¹ Corr.: Marthio.